



CAPUT XXVI.

De tentanda amicabile compositione.

§. 292.

Cuilibet parti liberum esto, pendente lit-
 transactionem, seu amicabilem compo-
 sitionem in Judicio, vel extra illud propo-
 nere; Processus tamen idcirco, nisi scripta de-
 claratio partis adversæ prius allata fuerit,
 nunquam vel in minima parte suspendi po-
 test, verum sine interruptione continuandus
 est.

§. 293.

Judici integrum quidem esto, partibus
 litigantibus amicabilem compositionem om-
 ni cum prudentia, & modestia proponere,
 eidem tamen ne liceto importunis exhortatio-
 nibus ejuscemodi compositionem obtrudere,
 multoque minus, suam Judicis auctoritatem
 interponere, quare si alterutra pars interpo-
 sitam transactionem scripto, vel voce reje-
 cerit,

cerit, tractatio sine mora interrumpenda, & universim curandum est, ne ideo actus judiciales retardentur.

CAPUT XXVII.

De Arbitris.

§. 294.

Integrum esto litigantibus in Arbitrum compromittere: non aliter tamen validum erit compromissum, quam si scripto consignatum fuerit. Quo facto uni parti sine alterius consensu ab illo recedere ne liceto.

§. 295.

Nemo Arbitri Officium suscipere, qui vero susceperit, litem dirimere tenetur.

§. 296.

Arbiter formam procedendi, de qua inter partes conventum erit; si vero nihil præscripserint, eam, quæ in præsentis ordine judiciario præfinita est, observato.